

& circa eam primò Luna, deinde ☉, demum
sphæra Fixarum gyratur, atque adeò Terræ
centrum est etiam centrum cursus Lunaris,
Solaris, & sphære Fixarum: At reliquorum
quinque Planetarum centrum est ipse Sol,
ut apparet in Systemate Tychonico: Et
Mars quidem ita Solem ambit, ut in oppo-
sitione cum Sole perigæus factus infra so-
lem descendat, ejusque orbem profundè in-
grediatur atque intersecet, ac propior Ter-
ræ fiat, quàm ipse Sol. Excogitavit hoc Sy-
stema *Tycho Brahe*, nobilis Astronomus
hujus & præteriti seculi; quem sequitur Lon-
gomontanus, (sed addito Telluris motu
diurno circa centrum suum ab occidente
in orientem,) Scheinerus, Blancanus, & ple-
rique ex Jesuitarum Societate.

IX. Systema Semi-Tycho- nicum.

HOc Systema habet omnia eum Tycho-
nico communia, exceptis orbibus Sa-
turni, & Iovis, quorum centrum non ponit
solem, sed Terram, ut apparet in Systemate

A 6

Semi-